




PALAEASTRA LATINA



SUMMARIUM

DE RECTA LINGuae LATINAE PRONUNTIATIONE, (Jové).

Q. HORATIUS FLACCUS ET A. LEGIONENSIS, (Llobera)

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

BIBLIOGRAPHIA, (Jiménez, Martija, Leache, Mir).

DE LATRONIBUS FABULA — COROCOTTA, REX LATRONUM, in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

XII AULUS COROCOTAE TRADITUR



TARRACINAM inter et Formias erat atra in silva remota domus, ubi unum ex domiciliis constituerat Corocotta. Eo latrones, quibus apprehendendi Auli curam mandaverat, post expeditionem jusserrat venire quos ibi non sine aliqua anxietate eo die expectabat. Dissimillimus quidam latronum ceterorum erat, juvenis scilicet sex et viginti ferme annos natus in cuius ore cum lenitate mixta erat gravitas virilis. In eo nullum animadverti poterat ex iis signis quibus notatur habitus latronum, sed e contrario speciem ille nobilem praebebat. Itaque socii in ejus vita arcani quicquam saepius rogitarerat num quis advenisset nuntius et semel etiam erat rogaturus, cum laetum clamorem audivit, atque una latro anhelans in cubiculum prorupit ubi erat Corocotta dicens: «Aulus captus es!» — «Huc adducatur» impavit rex latronum; denique secum ipse locutus: «Tandem te teneo, Aule! Tempus venit ultionis!»



AULUS et Terentilla concclave sunt ingressi et, vix Corocottam intuiti, exclamaverunt ambo, Aulus cum terrore, Terentilla autem cum spe tenui et admiratione: «Flavus». Tum Corocotta cavillans: «Ita est, inquit, Flavus sum; servus nuper tuus». Bona edepol memoria tua est, Aule. Quintum jam annum inter nos non vidimus et me agnoscis quasi heri e domo effugissest tua. Age vero, cum res sic recordaris non es oblitus quot et quantis servitiis me affeceris. Fame, siti, labore, virginis, omnibus denique tormentis me excruciasci; saepe Aethiops ille tuus me verberando fatigatus erat, neque tamen tua crudelitas satiebatur. Frustra gemebam, tu enim gemitus deridebas; frustra misericordiam tuam invocabam, tu enim preces contemnebas; frustra corpus meum flagris laniatum laboris remissionem requirebat, tu enim iubebas et erat laborandum. Nunc imperandi partes meae sunt. Hic mihi omnes parent neque quisquam te e manibus meis eripere potest. Poenas poenis lues, tormenta tormentis; mors denique te manet quae me manebat, si apud te diutius permanissem. Jam jam cymbalo latronem erat vocaturus cum ad pedes ejus provoluta est Auli filia.

XIII COROCOTTA ET AULUS

AULUS et Terentilla concclave sunt ingressi et, vix Corocottam intuiti, exclamaverunt ambo, Aulus cum terrore, Terentilla autem cum spe tenui et admiratione: «Flavus». Tum Corocotta cavillans: «Ita est, inquit, Flavus sum; servus nuper tuus». Bona edepol memoria tua est, Aule. Quintum jam annum inter nos non vidimus et me agnoscis quasi heri e domo effugissest tua. Age vero, cum res sic recordaris non es oblitus quot et quantis servitiis me affeceris. Fame, siti, labore, virginis, omnibus denique tormentis me excruciasci; saepe Aethiops ille tuus me verberando fatigatus erat, neque tamen tua crudelitas satiebatur. Frustra gemebam, tu enim gemitus deridebas; frustra misericordiam tuam invocabam, tu enim preces contemnebas; frustra corpus meum flagris laniatum laboris remissionem requirebat, tu enim iubebas et erat laborandum. Nunc imperandi partes meae sunt. Hic mihi omnes parent neque quisquam te e manibus meis eripere potest. Poenas poenis lues, tormenta tormentis; mors denique te manet quae me manebat, si apud te diutius permanissem. Jam jam cymbalo latronem erat vocaturus cum ad pedes ejus provoluta est Auli filia.

PALAESTR A LATINA



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De recta linguae Latinae pronuntiatione

De littera H

Jam primum sitne littera an aspirationis nota dumtaxat, hoc elementum multum disputatum est inter veteres. Nos et recentes litteram esse dicimus cum Scauro: «Primum illud respondemus *h* et esse litteram et apud Graecos quoque fuisse, quod significant Attici qui principibus litteris, a quibus eorum nomina incipiunt, numeros notantes hac quoque in eadem significatione utuntur... Sic HEKATON id est centum *H* littera notant. Deinde quod in ordine litterarum nulla nota sibi locum vindicet, cum *h* octavo loco posita sit. Et sicuti *as* et *sa* aliam vocem et aliam efficiunt potestatem et *ad* et *da*, ita et *ha* et *ah*. Praeterea quod litteris principibus dictionum singula nomina aut verba comprehendimus, ut cum scribimus R. P. et rem publicam significamus, ita et *h* per se cum *hac lege* et *hac die* significamus et *horam tertiam heredesve*. Extremo quod proprium est litterarum propinquitate sociari et invicem succedere, ut *Fusios Furiros* dicimus et *seddam sellam*: ita cum *h* ejusdem sit facultatis, nimirum haec quoque littera est, quod cum *f* invicem mutatur, ut quam nos *fabam* dicimus, antiqui *habam* dixerunt et quod nos *hordeum* dicimus, illi *fordeum* nominaverunt. Apparet itaque adjiciendam esse nec sine scripto intellegendam, quotiens in Latinis nominibus vis illius exegerit »⁽¹⁾. Magis *h* nomen litterae sibi arrogare valeat ex eo quod non semel in carmine syllabam natura sua brevem, longam efficiat positione, cum vocabulum consonante aliqua finitur. Sic Beda

(1) *Terentius Scaurus*, Keil VII, 23.

adductis exemplis: «Natura brevis syllaba ad votum poëtarum trans-
ferri potest in longam, cum correpta vocalis in consonantem desinit
et excipitur ab *h* littera; est enim natura brevis in hoc:

Porcinum tenuere gregem, nigēr hispidūs horrens
et voluntate poëtae longa in hoc:

Vir humilis maesto dejectus lumine terram
et item

Mors fera pēr hōmīnēm miserum sibi subdidit orbem⁽¹⁾

Sed nescio an melius res nostra appareat cum *h* synalepham
impedit, quod satis etiam arguo ex eodem Beda: «Quaecumque ergo
verba in *m* terminantur, nisi adpositione consonantis alicujus defen-
datur, synaliphā inrupente, syllabam ultimam vel aut perdunt aut
minuunt, excepto cum ab *h* littera sequens sermo inchoaverit, tunc
etenim in arbitrio poëtarum est, utrum haec instar fortiorum conso-
nantium synaliphā arceat, an pro modo suae fragilitatis *nihil va-*
leat; valuit namque in hoc, quia voluit poëta:

Nomine Johannēm hunc tu vocitare memento
et

Progenitum fulsisse ducēm hoc caelitus astra.

Item nihil juvit ad propellendam synaliphā, quia poëta neglexit:

Qui pereun(tem) hominem vetiti dulcedine ponis⁽²⁾

Ex illo autem «pro modo suae fragilitatis *nihil valet*» in car-
mine *h*, quod modo dixit Beda, credere adducor illud elementum in
medio carmine omnem aspirationem amittere nisi quando verae con-
sonantis ad faciendam positionem vel impediendam synalepham vi-
ces gerit. Pompejus similiter: «*H* aliquando littera est et facit syllabam,
aliquando *nihil est*. Littera est et longam facit syllabam supe-
riorem in illo exemplo «terga fatigamus hastas: *mus has, mus* brevis
est naturaliter; sed *mus id est u vocalis*, desinit in *s* et excipitur ab
h, quae modo pro consonante est, ut duae consonantes sint; et fit
longa. Potest esse in illo altero exemplo *pro nihilo quisquis honos*
tumuli. *Quis* longa positione posset esse si *h* pro consonante habe-
retur, sed dicimus *h perire* in sequente syllaba et erit dactylus, non
palimbacchius; ergo in hoc *perit quisquis honos tumuli*; in illo
permanet «terga fatigamus hasta». ⁽³⁾ Igitur praeter quam in carmine
cum nullam positionem facit, in omnibus aliis adjunctis in prosa
oratione, *h* semper aspiratur, quam rem multis auctoribus compro-
babimus.

«Quo modo addis adspirationem? —inquit Pompejus—. Si ve-
lis dicere *homnia* pro eo quod est *omnia*. Detrahimus adspirationem
omo pro homo... Interim illud quaeritur, quotiens cumque per *h* fa-

(1) Keil, VII, 230 — (2) Ib VII, 230 — (3) Ib V, 117



cimus barbarismum, cui rei dabitur hic basbarismus scriptui aut pronuntiatui; sic quomodo illud legimus *h* litteram esse aut aspirationem. Si littera est scriptui dabitur, si pronuntiatio est pronuntia tui.⁽¹⁾ Per detractionem fiunt barbarismi sic: ...aspirationis ut si quis *onorem* dicens citra aspirationem priorem syllabam proferat... Per immutationem fiunt barbarismi sic: ...aspirationis ut si quis *Traciam* dicens primam subtiliter efferat, aut *Chartaginem* dicens primam enuntiet cum aspiratione, aut si dicat pro *Ebro Hebrum*, ut aspirationem addat priori syllabae, sed hic modus erit et per adjectionem... Per transmutationem... aspirationis, ut si quis *Thraciam* perversa aspiratione proferat et dicat *Trachiam*.⁽²⁾

«Sonus in pronunciatione invenitur. Similiter aspiratio ad sonum pertinet, tametsi nos *h* quasi litteram ponimus, sed hoc vitium in scripto invenitur cum aut *choronam* pro *corona* aut *umum* pro *humo* legimus».⁽³⁾ «Barbarismus fit modis principalibus quattuor adjectione, detractione, mutatione, transmutatione. Adjectionis species sunt quattuor per adjectionem temporis, per adjectionem litterae, per adjectionem adspirationis... Adjectione adspirationis, hoc et scripto et sono proditur, ut cum dicimus *choronam* cum aspiratione, cum debeat leviter pronuntiari; item *hemo* pro *emo*... Detractionis species sunt aequae quattuor: detractione temporis... adspirationis ut si quis dicat *omo* sine adspiratione cum debeat aspere pronuntiari»⁽⁴⁾.

Probus Grammaticus ex eo et litteram esse concludere contendit his verbis: «Ex mutis *h* aspirationis notam, non litteram esse, existimaverunt quidam, cum et haec sicuti ceterae certum sonum retineat potestatis suae, ut puta *honos*, numquidnam onos? aut cetera talia, et ideo hoc quoque non recte notasse existimandi sunt»⁽⁵⁾. Concedit tamen esse solum aspirationis notam et non litteram cum jungitur consonantibus: «Nunc hoc monemus quod *h* juncta aliis mutis possit vocali concurrere et sonum syllabae suscitare ut puta pulcher; et ideo hic aspirationis nota, id est sonus, non littera, accipi debet scilicet quoniam mutae conjunctae, si vocalibus occurrant, prohibentur sonum syllabae suscitare».⁽⁶⁾

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(sequar)

(1) Keil, V, 4^o6. — (2) Ibid, V, 392. — (3) Charisius, ib. 265. — (4) Diomedes, Keil, I, 452. — (5) Keil, IV, 50. — (6) Id. ib.

Q. Horatius Flaccus et Aloisius Legionensis

(sequitur)

† Jos. Llobera, S. J.

*Quem canam divum procerumve caeli,
Musa, caelestis citharae perita?
An Deum ipsum, quem superum tueretur
Turba stupetque?*

*Cujus aut nomen lyra ad astra tollet,
Ocius terras fugiente sole,
Quo die caelum nitet atque tanto
Milite splendet?*

*Inter bas rupes recinetur imago
Vocis, ut vates Ephrataeus olim.
Sacrum ad Hermonem gelidumque cantu
Aera mulxit?*

*Molli ubi flavos hedera capillos
Cindus, et mantem fidibus canoris.
Duxit, et fortis rabidum leonem
Vicit, et ursum.*

*Quem prius laudem quam Humilemque et
Qui cibo vili vetitoque vitam [Altum,
Perditam reddens, hominem jacentem
Extulit alte?*

*Par Patri Aeterno parilisque nato
Incolae terrae; tremit Orcus ipsum.,
Sol colit, vivunt, meliora facta,
Cuncta per illum.*

*Integer post hunc uterus canetur
Lucis et Mater pelagique fulgens
Sidus borrendi, generisque nostri
Fida Patrona.*

*Spiritus princeps, tua non silebo
Verba nec firmum tumidum in draconem
Pectus; oblitum neque te, paratum
Ferre salutem.*

Fr. Luis de León

¿Qué santo o qué gloriosa
virtud, qué deidad que el cielo admira,
oh Musa poderosa
en la cristiana lira,
diremos entretanto que retira
el sol con presto vuelo
el rayo fugitivo en este día
que hace alarde el cielo
de su caballería?

¿Qué nombre entre estas breñas a portada
repetirá sonando
la imagen de la voz en la manera
el aire deleitando,
que el Efrateo hiciera
del sacro y fresco Hermón por la ladera?
A do ceñido el oro
cresco con verde hiedra, la montaña
condujo con sonoro
laúd, con fuerza y maña
del oso y del león domó la saña.

¿Pues quién diré primero
que el Alto y que el Humilde, y que la
por el manjar grosero [vida
resistuyó perdida,

que al cielo levantó nuestra caída?
Igual al Padre Eterno,
igual al que en la tierra nace y muere,
de quien tembla el infierno,
a quien el sol adora,
en quien todo el ser vive y se mejora.
Después el vientre entero,
la Madre desta luz será cantada,
clarísimo lucero
en esta mar turbada,
del linaje humano fiel abogada.
Espíritu divino,
no callaré tu voz, tu pecho opuesto
contra el dragón malino;

*Obrutae numquam ratis o magister,
Ause, te, verbis, mea lingua dicit,
Teque cui nox e tenebris reduxit
Lucida vitam.*

*Quis tuum fletum pretiumque nardi,
Corde converso bene, Magdalena,
Non canet, cujus cumulata odore
Est domus orbis?*

*Quae colis Nilum, rosa liliumque,
Concino te nunc, sapiensque virgo;
Ex sacro virtus tua lucet alma e
Vertice Sina.*

*Africæ fulmen celebrem? favumne
Romulum? an non Stridonium disertum,
«Aureum os» aut qui merito est ab omni
Gente vocatus?*

*Sidera attingit, rutilans columna,
Major excelsus Basilius astu,
Prae sua Demosthenis haud diserta est
Copia fandi.*

*Crescit, exsurgens velut arbor annis,
Laude Franciscus, micat in recessu
Splendor Antoni velut inter astra
Luna minora.*

*Illa quo fugit, Pater, illa rara
Jam diu virtus? Adyti quis aurum
Diruit? Quisnam sata laeta dumis
Miscuit excors?*

*En ubi piæ nituere flores,
Triticum flavum violaque rubrae,
Carduus regnat, inimica avena
Falsus amicus.*

ni tú en olvido puestó,
que a defender mi vida estás dispuesto.
Osado en la promesa,
barquero de la barca no sumida,
a tí mi voz profesa;
y a tí que la lucida
noche te traspasó de muerte a vida.
¿Quién no dirá tu lloro,
tu bien trocado amor, oh Magdalena,
de tu nardo el tesoro,
de cuyo olor la ajena
casa, la redondez del mundo es llena?
Del Nilo moradora,
tierna flor del saber y de pureza,
de tí yo canto agora,
que de la santa alteza
de Arabia esparce luz tu fortaleza.
¿Diré el rayo Africano?
¿diré el Estridonés sabio, elocuente,
o del panal Romano,
o del que justamente
nombraron «boca de oro» entre la gente?
Coluna ardiente en fuego,
el firme y gran Basilio al cielo toca,
mayor que el miedo y ruego;
y ante su rica boca
la lengua de Demóstenes se apoca.
Cual árbol con los años
la gloria de Francisco sube y crece,
y entre mil ermitaños
el claro Antón parece
luna que en las estrellas resplandece.
¡Ay Padre! ¿y dó se ha ido
aquel raro valor? ¡o qué malvado
el oro ha destruído
de tu templo sagrado?
¿quién cizánó tan mal tu buen sembrado?
Adonde la azucena
lucía y el clavel, do el rojo trigo,
reina agora la avena,
la grama, el enemigo
cardo, la sinjusticia, el falso amigo.

*Flede jam nobis oculos benignus,
Et tua dextra validus revelle
Turpe, inhumanum, sere trita, recta
Temporis aeti.*

*Pectori dona requiem, recotto
Anxia cura in tenebris; ego extra
Carcerem nomenque tuum decusque
Dulcius edam.*

*Dulce solamen! mea non negabo
Ausa mayores meruisse poenas;
At magis, quo sunt vitiosiora,
Laude fereris.*

De usu autem imaginum, quae pars altera est formae Horatianae, et de fugiendis rebus abstractis et de contrariis opponendis, quid dicam nisi haec omnia in carminibus Legionensis esse valde praeclara, non minus quam in Venusini? Ad hoc confirmandum satis erit legenti ante oculos ponere odam amico suo Philippo Ruissio dicatam, eam, inquam, quae incipit, «¿Cuándo será que pueda?» quam merito idem Coll et Vehí⁽¹⁾ plenam dicit esse rerum sublimium, Martínez de la Rosa⁽²⁾ tot imagines magnificas in ea inesse, tot cogitationes sublimes tamque singulari pulcritudine expressas, ut paucae admodum scriptiones inveniantur, quae possint ei conferri una cum sublimitate ingenuitate ac simplicitate conjuncta.

Et quoniam agitur in hoc poëmate de cognitione qua ipse poëta, vir sapientissimus, praeditus erit in beatis illis caeli sedibus, significabo ipsius verba

*Defectus solis varios lunaeque labores,
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant*

Convierte piadoso
tus ojos y nos mira, y con tu mano
arranca poderoso
lo malo y lo tirano,
y planta aquello antiguo, humilde y llano.
Da paz a aqueste pecho,
que hervé con dolor en noche escura;
que fuera deste estrecho
diré con más dulzura
tu nombre, tu grandeza y hermosura.
No niego, dulce amparo
del alma, que mis males son mayores
que aqueste desamparo;
mas cuanto son peores,
tanto resonarán más tus loores.

usurpans, qua ratione theologus Augustinianus veram absolutamque beatitudinem intellegat. Ipsum igitur audiamus: «Nam his duabus rebus continetur absolute et cumulata beatitudo: Dei contemplatione scilicet et cognitione templi Dei, id autem est universi hujus: quod unum templum est augustissimum atque maximum. Nam haec naturae rerum cognitio veluti cumulus additur visioni illi contemplationique Dei, in qua proprie ipsa beatitudo consistit».

Igitur has naturae partes atque rationes beati viri in caelesti illa et futura vita cognoscent, eaque ex cognitione capient summam voluptatem. Nam quod aliud puris et bene affectis animis exhibetur gratius spectaculum quam est hoc, quod illis a Deo exhibetur, cum de altissimo et maxime splendido loca caeli in omnis mali expertise vita ipsi constituti, non solum videant illa:

(1) Elementos de Liter., Art Poét. II, n. 322.—(2) Poética. anotación al canto II.

Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;
 Quid tantum Oceano properent se tingere soles
 Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet:

Sed multo illis majora ac reconditiora cognoscent, causas nimirum omnium rerum et cujusque rei principia interiora atque priora, ipsarumque inter se naturarum atque rerum consensiones et dissensiones arcanae, quarum est, ut maxime jucunda causa atque ratio, aliaque

*Quando, Philippe, e carcere corporis
 Caelum valebo scandere fulgium,
 Verumque purum alto tueri
 Orbe magis fugiente terram?*

*Vitam prope illic, splendida lux ego
 Factus, videbo, consciens si:nul
 Distincta, quae sunt, quae fuerunt
 Principiumque suum haud apertum.*

*Illic videbo quomodo Dextera
 Excelsa mundi jecerit arduum
 Fundamen ad libellam, ecq.e
 Firma sedent clementa terrae.*

*Stantes videbo quas super insidet
 Tellus columnas, signaque li:itu:n
 Quicis aestuosum turgilumque
 Provida Mens pelagus coercet:*

*Cur terra motu contremat, aspera
 Ira tumescant cur maria, exact
 Trux unde ventus, curve crescant
 Oceani et minuantur undae,*

*Atque unde fontes, unde perennibus
 Lymphis alantur flumina, quisve alat
 Labentia, et causas videbo
 Frigoris i:ubriferi et caloris.*

his similia permulta». Ha:tenus Legionensis.⁽¹⁾

Sed ecce tibi versionem poëmatis de quo superius, in qua unum alterumque versum desumpsi ex P. Thomas Viñas, Sch. P.:⁽²⁾

*¿Cuándo será que pueda
 libre desta prisión volar al cielo,
 Felipe, y en la rueda
 que huye más del suelo
 contemplar la verdad pura sin duelo?*

Allí a mi vida junto
 en luz resplandeciente convertido
 veré distinto y junto
 lo que es y lo que ha sido
 y su principio propio y escondido.

Entonces veré cómo
 la soberana mano echó el cimiento
 tan a nivel y plomo,
 do estable y firme asiento
 posee el pesadísimo elemento.

Veré las inmortales
 columnas do la tierra está fundada,
 las lindes y señales
 con que a la mar hinchada
 la Providencia tiene aprisionada.

Por qué tiembla la tierra,
 por qué las hondas mares se embravecen:
 dó sale a mover guerra
 el Cierzo, y por qué crecen
 las aguas del Océano y descrecen:

de dó manan las fuentes;
 quién ceba y quién bastece de los ríos
 las perpetuas corrientes;
 de los helados fríos
 veré las causas y de los estíos:

(1) *Opera*, t. I, pp. 137-138, in psalm. XXVI.—(2) *Versiones latinas de poesías hispanas*, Barcelona, 1927.

*Quisnam supernas aetheris in plaga
Moles aquarum fulciat, et tua
Qua fulminum, Dive, officina,
Arca nivis, tonet unde caelum.*

*Cum vere totum contigit aëra
Turbari in alto, (nonne vides?) dies
Nigrescit, insanitque Caurus,
Atque levis petit astra pulvis.*

*Interque nimbos horrisonum Deus
Currum et coruscum commovet et citum,
Ardente caelum fulget igni,
Terra tremit, pavor alta corda*

*Prosternit, imbres nubibus effluunt,
Effusa manant flumina collibus,
Cassum laborem, undantia arva
Attoniti agricolar intuentur.*

*Ipse altus illinc despiciam vias
Motusque caeli, jam modo concitos
Nunc temperatos insitosque,
Principium indiciumque rerum.*

*Quisnam astra ducat perspiciam quoque,
Quisnam efficaci lumine et aureo
Accendat, ambae cur et Ursae
Sint pelago timidae usque tingi:*

*Qua parte vitae et luminis editor
Sol nutriatur, perpetuo nitens;
Cur præpes hibernus recedat,
Quis teneat tenebris moratum.*

*Immota cernam laetitiae loca
Orbe in supremo, laeta sedilia
Et luce et auro fæabricata
Atque animis habitata diis.*

las soberanas aguas
del aire en la región quién las sostiene;
de los rayos las fraguas;
dó los tesoros tiene
de nieve Dios, y el trueno dónde viene.

¿No ves cuando acontece
turbarse el aire todo en el verano?

El día se enegrece,
sopla el Gallego insano,
y sube hasta el cielo el polvo vano;

y entre las nubes mueve
su carro Dios, ligero y reluciente.
horrible son convuelve,
relumbra fuego ardiente,
treme la tierra, humillase la gente.

La lluvia baña el techo,
inván largos ríos los collados;
su trabajo deshecho,
los campos anegados
miran los labradores espantados.

Y de allí levantado
veré los movimientos celestiales,
ansí el arrebatado
como los naturales,
la causa de los hados, las señales.

Quién rige las estrellas
veré y quién las enciende con hermosas
y eficaces centellas;
por qué están las dos Osas
de bañarse en la mar siempre medrosas.

Veré este fuego eterno,
fuente de vida y luz dó se mantiene;
y por qué en el hiberno
tan presuroso viene,
quién en las noches largas le detiene.

Veré sin movimiento
en la más alta esfera las moradas
del gozo y del contento,
de oro y luz labradas,
de espíritus dichosos habitadas.

Quod ad brevitatem orationis attinet et parsimoniam, difficile est alium poëtam in nostris reperire ita contractum, ita pressum, ita paucis multa complectentem, ut Aloisium Legionensem. Ego vero neminem adhuc legi nisi Franciscum Medranum, qui modo Horatiano Horatium partim reddidit Hispane, ejusque vestigia sic pressit et fixit, ut nisi a Venusino ductus manu pedem efferre aut progredi nescire videatur aut nolit, cui saepe desit proinde imitatio expedita et libera, qualis est Aloisiniana, cuius jam pressus stilus et contractus oerni potest in carmine *Quem canam divum*; quod si cum suo exemplari, mi lector, comparabis, Latini Lyrici brevitatem et senties et degustabis. Aloisius enim fere, ut Q. Flaccus, brevibus utitur strophis, quae amplitudinem luxuriemque dicendi quodammodo coercent et adstringunt. Quod tibi etiam persuasum erit si lustrabis oculis odam alteram *Quando, Philippe, e carcere corporis*, et sequentem, cuius hispane est initium «Recoge ya en el seno», lati-

ne *Condit ager propiam speciem in sua viscera*, quam amico suo Johanni Grialo, S. Scripturæ lectori in alma Academia Salmanticensi dicavit, cui etiam donavit tractationem *De utriusque Agni, typici atque veri, immolationis legitimo tempore*, cujus postrema verba haec sunt: «Quae tu, Giale, qui et judicio et doctrina praestas, qualia sint judicabis». In censura autem *Triplicis Explanationis in Canticum Cantorum* haec habet Grialus in Legionensem: «His explanationibus nihil meo judicio dedit haec actas neque elegantius». Quam censuram comitantur nonnulla distypha, quibus ipse censor invitat colloquentes in *Canticis* ut lauro poëtam donent:

Nectite certa meo varia de fronte Luso!
Sed bene texetis formoso pollice certa...
Tum ternis lustrate choris, tum dicite
[carmen,
Carmine si possit mergier invidia.

Hoc autem est Aloisii promissum carmen:

Condit ager propiam speciem in sua viscera
Lumine tristitiae [ra, caelum
Discutit omne decus pratis, silvasque de-
Exuit et foliis [core
Paulatim; ad lucem Capream jam tendit
Aethera jamque secat [Apollo
Ocior, et perflans Auster densissima caelo
Nubila cogit atrox.
Ultrix Regini vatis grus jam volat alta
Flebiliterque gemit
Rauca sonans, ferro proscindunt arva fe-
Sub juga colla boves. [rentas
Invitat nos ad studium haud ignobile tem-
Famaque ad alta vocat [pus,

Recoge ya en el seno
el campo su hermosura, el cielo aoja
con luz triste el ameno
verdor, y hoja a hoja
las cimas de los árboles despoja.

Ya Febo inclina el paso
al resplandor Egeo; ya del día
las horas corta escaso;
ya Eolo al mediodía
soplando espesas nubes nos envía.

Ya el ave vengadora
del Ibico navega los nublados,
y con voz ronca llora,
y al yugo el cuello atados
los bueyes van rompiendo los sembrados.

El tiempo nos convida

*Dorsa, Giale, sacri montis, quo scandere
 Mentis inops poterit. [nunquam
 Incepsum protende gradum bene, vince ca-
 Unus et alta tene; [cumen,
 Quoque fluit fons largus aquae, purissimus
 Care, sitim releva. [undis,
 Divitias mirans insanum neglege vulgus
 Quod bona ficta petit
 Auro inhiens, nam Euro magis est levis il-
 Et magis illa fugax. [la voluptas
 Scribe tibi spirat quod amicus Phoebus, a-
 Namque vetusta novus [mice;
 Aquiperat stilus et superat; sed me neque
 Te prope posse sequi. [crede
 Nam mibi, qui insidiis raptus sum et tur-
 [hinc praeceps
 Quique via e media
 Ima peto, plectrum fractum est cum pecti-
 Pennigerique umeri. [ne amatum*

In postrema, quam brevissime des-
 cripsi, dote Horatiani carminis de epithet-
 torum delectu praestitit etiam poeta Sal-
 manticensis supra quam dici facile potest.
 Nolo in re tam aperta immorari. Eam tu

*Ille quam felix bominum tumultus
 Qui fugit cautus, sequiturque opertam
 Semitam quam qui sapiere pauci
 Ante adierunt!*

*Ejus haud pectus ciet intumescens
 Principum sors, nec stupet ille tectum
 Aureum, struxit sapiens quod Afer,
 Fulcit iaspis.*

*Neglegit famam, carit baec acuta
 Voce si nomen suum, ad astra mendax*

a los estudios nobles, y la fama,
 Grial, a la subida
 del sacro monte llama,
 do no podrá subir la postrer llama.
 Alarga el bien guiado
 paso, y la cuesta vence, y solo gana
 la cumbre del collado;
 y do más pura mana
 la fuente, satisfaz tu ardiente gana.
 No cures si el perdido
 error admira el oro y va sediento
 en pos de un bien fingido;
 que no ansí vuelta el viento,
 cuanto es fugaz y vano aquel contento.

Escribe lo que Febo
 te dicta favorable, que lo antiguo
 iguala y pasa el nuevo
 estilo; y, caro amigo,
 no esperes que podré atener contigo.

Que yo de un torbellino
 traidor acometido y derrocado
 de en medio del camino
 al hondo, al pleistro amado
 y del vuelo las alas he quebrado.

poteris perpendere in versione clarissimae
 notissimaeque odiae «¡Qué descansada
 vida..!» in qua vita laudatur acta procul
 a negotiis hominumque tumultis, quam-
 que Latinis versibus ita reddidi:

*¡Qué descansada vida
 la del que huye el mundanal ruído,
 y sigue la escondida
 senda por donde han ido
 los pocos sabios que en el mundo han*

*Que no le enturbia el pecho [sido]
 de los soberbios grandes el estado,
 ni del dorado techo
 se admira, fabricado
 del sabio Moro, en jaspes sustentado.*

No cura si la fama
 canta con voz su nombre pregonera,

*Lingua si id fert quod fugit illa virtus
Nescia fraudis.*

*Quid mea refert digito si inani
Indicor? si aura populari anhelus,
Tristibus curis crucior diuque
Morte dolenda?*

*Dulcis o mons, o fluviusque fonsque!
O loci tuti, placidi! benignos
Vos peto, horrescens maris alta, navi
Heu! prope quassa.*

*Condidam lucem facilemque somnum
Liber a curis cupio; superbam et
Nubilam frontem metuo beati aut
Sanguine clari.*

*Suscitent memet volucres, canendi
Dulce non doctae, minime sed illa
Cura quae semper sequitur gravis cui
Imperat alter.*

*Vivere et mecum liceat, bonisque
Perfrui caeli sine teste, soli,
Libero poena, spe, odiis, amore
Invidiaque.*

*Montis ad clivum satus hortus ipsa
Est mea dextra, roseoque flore
Vere pubescens sua poma monstrat
Certa fidelis.*

*Ejus et formam velut intuendi
Fons et augendi cupidus, fugaci
Defluit cursu, properans patenti
Vertice collis.*

*Lene mox flectit fugitivus inter
Arbores gressum, viridanti et herba
Hic humum vestit varioque flore
Spargit ubique.*

ni cura si encarama
la lengua lisonjera
lo que condena la verdad sincera.

¿Qué presta a mi contento
si soy del vano dedo señalado?
¿si en busca dese de viento
ando desalentado
con ansias vivas, con mortal cuidado?

¡Oh monte, oh fuente, oh río,
oh secreto seguro deleitoso!
Roto casi el navío
a vuestro almo reposo
huyo de aqueste mar tempestuoso.

Un no rompido sueño,
un día puro, alegre, libre quiero;
no quiero ver el ceño
vanamente severo
de a quien la sangre ensalza o el dinero.

Despiértense las aves
con su cantar sabroso no aprendido;
ni los cuidados graves
de que es siempre seguido
el que al ajeno arbitrio está atenido.

Vivir quiero conmigo,
gozar quiero del bien que debo al cielo
a solas sin testigo,
libre de amor de celo,
de odio, de esperanzas, de recelo.

Del monte en la ladera
por mi mano plantado tengo un huerto,
que con la primavera
de bella flor cubierto
ya muestra en esperanza el fruto cierto.

Y como codiciosa
por ver y acrecentar su hermosura,
desde la cumbre airosa
una fontana pura
hasta llegar corriendo se apresura.

Y luego sosegada
el paso entre los árboles torciendo,
el suelo de pasada
de verdura vistiendo
y con diversas flores va esparciendo.

*Hortus aestiva recreatur aura,
Mulcit et nares odor, arbor ipsa
Flectitur, murmur sonat aure, scaeptri et
Immemor auri.*

*Congerat gazas sibi qui dolosae
Fisus est navi: timidos videre
Non meum fletus, Boreas cum et Eurus
Proelia miscent.*

*Saucia antenna ingemit, atram iu umbram
Clara lux transit, vagus atque tristis
Clamor it caelo, pariterque pontum
Munere ditant.*

*Mensa mi pauper tenuisque plena
Pace dilecta satis est: supellex
Aurea illius mare qui superbum
Non timet, esto.*

*Dumque permiltos satienda nunquam
Imperi incerti sitis aestuosa
Torquet, herbosa recubans sub umbra
Dulce ego cantem,*

*Accubans umbris, hedera virenti
Vindus et lauro ad melos insonantis
Aure suspensa sapienter iicti
Police plectri.*

Ex iis paucis quae ex nostro lyrico excerptimus, fit illustre ejus poëtis formam esse Horatianae persimilem, poësim ipsam aequalem aut, ut critici nonnulli judicant⁽¹⁾, superiorem.

Suparari autem facile ab Hispano Latinum asseri potest sine dubitatione in motibus animi exprimendis, in afflato,

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fesis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiperas, sed voce, magistrum.

El aire el huerto orea,
y ofrece mil olores al sentido:
los árboles menea
con un manso ruido,
que del oro y del cetro pone olvido.
Ténganse su tesoro
los que de un falso leño se confían;
no es mío ver el lloro
de los que desconfían
cuando el Cierzo y el Ábreo porfian.

La combatida antena
cruje, y en ciega noche el claro día
se torna, al cielo suena
confusa vocería,
y la mar enriquecen a porfía.
A mí una pobrecilla
mesa de amable paz bien abastada
me basta, y la vajilla
de fino oro labrada
sea de quien la mar no teme airada.
Y mientras miserable-
mente se están los otros abrasando
con sed insaciable
del peligroso mando,
tendido yo a la sombra esté cantando.

A la sombra tendido,
de hiedra y lauro eterno coronado,
puesto el atento oído
al son dulce acordado
del plectro sabiamente meneado.

poëtico seu vi lyrica, sive ea oritur ex argumentis, quae tractat poëta, verarum rerum et caelestium, sive ex ratione ingenua pariterque sublimi eorum tractandorum. Quapropter omnibus poëmata pergrata sunt perque jucunda, atque ita perjucunda, ut possimus cum Vergiliano pastore conclamare⁽²⁾:

(1) V. Fr. Conrado Muñoz Sáenz, *Influencia de los Agustinos en la poesía cast.* «La ciudad de Dios», vol. XVII, p. 220.

(2) Buc. 5, 45. seqq.

Narragonia et Crocodilopolis

ACTUS QUINTUS

4. *disciplinae publicae custodes, cet. (sequitur)*

SCAURUS. — «Cum una cum aliis praedatum exieris, cum aliis captus suspenderis» (proverbiu). «Bestia bestiam novit» (prov.). «Lupus lupum non est» (prov.). «Cornix cornici nunquam confudit ocellum» (prov.). Innocentiam tuam criminum mihi suspectam probabis coram rege. Adducite eum (*ad securitatis publicae custodes*).

PASSERCULUS. — (*plorans*). Numquam in palatium et arcem Baronis me contulisse vel insinuassem, nisi spe thesaurorum et gula epularum regalium et illecebris libidinum illuc ad ductus. et allectus essem a Milvo et Vespa. Proinde parcite, quaeso, mihi adulescentulo!

PERDIX. — (*Perdix unus ex securitatis publicae ministris animadvertis fortuito magnum farcimen in sinu Passerculi absconditum; extrahit farcimen et triumphans publice omnibus, qui sunt in atrio, et subridens ostendit clamans:*) En «corpus delicti» (Tarinacius) Benjamin noster «in flagranti» (Codex Justinianii) deprehensus. (omnes, qui adsunt, rident). «Mencacis

inesse solet infirma stabilitas» (prov. Germanorum).

SCAURUS. — *Perdix (ad Perdicem) suae ipsius familiae distribuat farcimen illud feliciter inventum (ad Passerculam).* «Etiam tu, mi Brute?» (1). Profecto eximie, simulator vafer tis, misericordiam excitare studies in animis eorum qui te audiunt. Nunc tristis es vultu veluti caelum nubibus obductum, quasi pomum silvestre putridum, tanquam ursus scabiosus et morosus ex otio a venatore excitatus. Non semper tibi verum aut jucundum videtur esse illud: «Solamen miseris socios habuisse malorum» (2). Reddes rationem coram rege. Nunc tandem sistite (*ad securitatis publicae ministros et ad milites*) hos omnes procos delicatos coram tribunal Baronis, qui summus judex his tribus nefarisi pronuntiabit sententiam! Collocati ante sedem judicialem exspectent judicium severitatis et justitiae! Pergite! (*omnes proci, milites, disciplinae publicae custodes ad tribunal Baronis se conferunt*). «Scaena fiet tribunal» (3).

V 5. (*prospectus ut in scaena prima et secunda*)

PROCI; MILITES; disciplinae publicae custodes circumstant tribunal; venit Baro, quem comitantur ALMANSOR, GAMBRINUS, BOMBUS; BUFO: (e longinquo auscultant ALASTOR, famuli arcis regiae, cives Salamandriae armati sicut ante).

BARO — (*Sententiam fert procis ornata et insignibus dignitatis regiae decoratus; perorationem habet*). Cum crimina Vespa, Milvi, Passer-

cili procorum in jus vocatorum luce solis clariora sint et tam mihi quam omnibus, qui adsunt, perspecta. et plane cognita, vi et auctoritate potestatis regiae suffultus, de his procis judex pronuntio ac manifesto hoc judicium accurate et diu perpensum «Aequo animo, poenam, qui meruere, ferant» (4). Aedes tuae, Vespa, horti, agri, silvae publicabuntur; tota res tua familiaris exige-

(1) Shakespeare, *Jul. Caesar*; 3. 1.—(2) Christopher Marlowe, *Faustus*. —(3) Schiller, *Grues. Ibyci*.

(4) Ovidius, *Amores*, 2, 7, 12.

tur pro fisco ad palatium regis interius digne exornandum; tu ipse, cum fueris procus omnium voracissimus, fame conficeris in carcere. Tu, Milve, cum fueris petulantissimus et moribus nequissimus, extra moenia Salamandriae tota tua familia conspiciente, sepelieris vivus. Tu denique, o Passercule, bracchiis et pedibus abscisis, sacco involutus in Oceanum submergeris, ut pro vino falerno vel cerevisiae Fremoniae

haurias et perpotes aquam mari-
nam. «Sic volo; sic jubeo; stat pro
ratione voluntas» (1), «Discite justi-
tiam moniti, non temnere regem»
(2). Abducite tres procos (*ad milites
et disciplinae publicae custodes*).
Balsaminae amatores protertos at-
que epulones furaces locis destina-
tis perimendos! Dixi. (*proci a mili-
tibus et custodibus securitatis pu-
blicae vinci ad supplicia perferen-
da abducuntur*).

V 6. (BARO, ALMANSOR, GAMBRINUS, BOMBUS; BUFO; ALASTOR;
famuli arcis regiae; cives Salamandrini)

BARO.—Quamquam dudum diu noctu-
que exoptaram ut Balsaminam fi-
liam triennio post discessum redux
conspicerem, ad eam redire non
prius volui quam ordo domesticus,
procis expulsis adjudicatis peremptis,
in palatio regio plane esset re-
stitutus. Tandem aliquando innumeris
fere difficultatibus et impedimen-
tis remotis et prostratis haec victo-
ria, hoc solamen, haec beatitudinis
hora mihi contigit. Etsi sententiam
illam plane comprobans laudo: «Col-
lite feminas! acubus texunt, Tibialia
lanea vitae terrestri» (3). Berberitia
conjunx apostata et Amaranta filia
moribus corrupta ac fugitiva, ja-
nuam et aulam palatii regii reperi-
ent in perpetuum sibi obseratam et
obclusam. Rosalinda et manibus et
captivitate Saracenorum quam pri-
mum pro viribus eripere vel redime-
re conabor. De Chrisocantharo fi-
liolo unico a Berberitia matre et
Vespa, proco auctore, crudeliter in-
terempto maereo ac lamentor ve-
hementissime. Balsaminam Ma-
chaerophoro filio Almansoris regis.

moribus ac virtute undique com-
mendato, si sposo et sponsae pla-
cuerit, libentissimus collocabo in
matrimonium, Bufonem autem fam-
ulum vernam omnium fidelissi-
mum ac de Narragoniae ejusque re-
ge excellentissime meritum munere
libertatis honorabo, nobilitate he-
reditaria ornabo, summo patriae in-
signi, id est, ordine cygni Musici de-
corabo, praemio viginti millium
drachmarum officiam. Arx mea re-
gia (4), si in ea mecum velit versari,
quotiescumque venerit ei patebit.
Praeterea dono occipiet triginta am-
pullas *Kukiroli*, quo emplastro cla-
vos pedum et verrucas sine ullo cor-
poris dolore extirpet, et viginti py-
xides laminatas *Erdali* vel *Immali-
ni*, quo unguento obliniat calcea-
menta et molliat; insuper accipiet
cistulam *Odoli*, quo pulvere utatur
medicamine ad dentes illaesos, vel
cariosos cavosque, quam diutissime
conservandos (*milites et custodes
securitatis publicae emissi omnes
revertuntur et sistunt ante tribu-
nal*).

V 7. (*Omnes ut in scaena sexta; insuper milites et custodes securitatis publicae*)

BARO.—Nunc tandem omnes militibus
et ministris disciplinae publicae

praecedentibus pompam sollemnem
instituamus in palatium regium ad-

(1) Juvenalis, Sat VI. 223 —(2) Vergilius, Aen VI. 620 —(3) Schillerus, Cantus Campanae —(4)
Schillerus, Terra dividendo

ducendam, ubi reduces cum his
principibus inclitissimis et Balsa-
mina filia virgine dies festos peraga-
mus laetissimis (*in honorem Baro-*

nis et Bufonis ante ipsum pompa
et initium omnes praeter Baronem
et Bufonen, tubis sonantibus ca-
nunt praeconium triumphale:)

I

Immortalis honor, decus eximium tibi, Baro!
Victor et extinctor stas Crocodilopolis.

II

Interiere proci proceres per te nece dira:
Bufoni famulo munera, rex, tribues.

III

Baro, Bufo par condignum laude perenni,
Permaneatis spes, sol radians patriae!

(*omnes post tertiam stropham ad arcem regiam versus solemniter ex scaena*
decedunt. Aulaeum premitur).

VIATOR

EXPLICIT.

Bibliographia

N. Terzaghi. — *C. Lucilii Saturarum reliquiae*. Firenze, Felice Le Monnier, 1934

Cum difficile jam esset Lucilianas reliquias apud bibliopolas reperire, eas auctor in usum maxime academicorum digessit brevissimisque adnotationibus instruxit. Marxii Friderici et Ernesti Diehl vestigia secutus. Editio prodidit facie honesta eleganti curata et ortographicis codicium inscriptionibus accomodata.

Qua ratione tamen *uulgam* (vs. 67) et *bulgam* (vs. 253) scripsit? Ceterum laudem auctori debetur qui singularem librum edere promisit in quo omnia de Lucilio scitu digna facile reperiantur.

J. Quoten. — *Monumenta Eucharistica et Liturgica Vetustissima*, Pars I et II. Bonnae sumptibus P. Hanstein. MCMXXXV.

His nostris temporibus magni subsidi erit hoc praestantissimum opus Florigili Patristici tum theologis tum historicis qui veram sacramentorum naturam e monumentis antiquioribus desu-

mere curant. Etenim in opere Dris. Quoten quintupliciter diviso vetustissimos fontes sermone Graeco et Latino repertis nunnulis illustratos notulis.

Jam vero in his duobus primis fasciculis qui modo ad nos pervenerunt haec continentur documenta: Pars I: Testimonia N. T.; Didache; Sti. Justini; Epitaphium Abercii et Pectorii; Santi Hippolyti traditio apostolica; Ordo synaxis ex Didascalia; Papyrus Der; Balyzehensis; Papyrus anaphorae S. Marci; Preces issae Euchologii Serapionis.

Pars II: Sti. Cyrilli Hier. Catecheses Mystagogicae.

J. Echevarría. — *Horas del Corazón*, Madrid. Coculsa, Apart. 8013, 1935, segunda ed.

Opus novitate quadam confectum est revera liber cui titulus «Horas del Corazón». Magna gaudet cogitatum et figurarum ubertate, in qua tamen bona pace dicam — luxuries quaedam stili inesse videtur. Contionatoribus tamen magno erit emolumento.

Georgin-Berthaut. — *Epitome Historiae Graecae*. Paris, A. Hatier, 1935.

Ante hos sex annos hunc Epitome typis mandatur initia operis dicti »Les premiers textes latins» (Libr. Hatier, 1929, Paris) ubi textus Cl. Siret a magistris Georgin-Berthaut gradatim accommodatum, offerabatur. Hunc denuo elegante fasciculo prodiit in usum scholarum digestus. Dispositio vocabulorum omnino probare nequeo: sunt enim sua cuique consilia.

A. M. Guillemin. — *Virgile: Eneide, Livre IV et VIII*. A. Hatier, Paris.

En duo opuscula lectoribus, maxime commendanda qui pulchre adnotatam Vergilli Aeneiden in eis sunt inventuri. In prooemio proponit auctor virtutes artis, sermonis, prosodiae, metrices eximi Vergilii. De rebus historicis et grammaticis profusas invenies adnotaciones ad calcem uniuscujusque pagellae. Singuli libri lexicis proprietorum nominum clauduntur.

F. Robles Dégano. — *Gramática Latina*. 2. Ed. Avila, 1935.

Altera jam prodiit scriptoris Abulensis Latinae Grammatices editio nonnullis renovata auctaque numeris, quod debetur in primis ipsi auctori sed etiam amico Isaac M. Toribios in monasterio Sti. Dominici Silensis Linguae Latinae professori. Auctorem sane demiror, sed in omnibus nequaquam laudare possum, praesertim in hoc quod ad novas morphologicas voces attinet. Tamen syntacticae leges maxime placent. Haec nova editio offert praeterea, optimo quidem consilio, specialem de hymnographia tonica tractatum, quod apud alios autores desideratur.

F. Robles Dégano. — *Cuestiones Gramaticales*. Madrid, 1935.

In hoc fasciculo agitantur praecipuae quaestiones de subjunctivo Latino: Quot sint verborum modi; sitne imperativus

idem ac subjunctivs; deturne futurum tempus in subjunctivo; aliaque id genus. Quid vero de his omnibus judicandum alibi subtilius exposui.

J. M. JIMÉNEZ C. M. F.

Dr. G. Merten. — *Canta latine. Deutsche Lieder in lateinische Sprache*. Berlin, 1935.

Hic libellus 63 pagellarum cantus populares germanicos continet, in latinum sermonem translatos. Hujusmodi sunt cantus patriotic, amatorii, cantus puerorum, scholasticorum, militum, etc.

Versio latina ad normas quantitatis syllabarum minime aptatur, sed ad rythmum quedam musices. Auctor haec lectoribus anicitadvertit: «Pronuntia omnes syllabas — Evita elisionem. — Hiatus tolerandus est non turbat canticum». Magis placeret si, non neglecto hodierne poesis rythmo, in metrum proprium latinum auctor carmina convertisset.

A. Cima — *Teoria dello Stile Latino*. G. B. Paravia, Torino.

Quanto studio inter classicorum amatores et alumnos et magistros fuerit acceptus liber Prof. Dris. A. Cima, undedim Editiones quas paucis annis obtinuit satis ostendunt. Opus inter optimo recenseo de stylistica Latina quae ad meam notitiam pervenerunt Qualitates styli latini auctor exprimit cum Cicerone (De Orat. 3, 10): «Ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id quodcumque agatur apte congruenterque dicamus» In introductione disserit de fine et limitibus stylisticae latinae In primis capitibus loquitur de Stylo Latino generatim, de historia Linguae Latinae, de formis styli specialibus, neologismis, archaismis, cet. Praecipuam praebet partem ordini propositionum et periodorum ordinatu; nec deesse poterat studium de numero oratorio.

Liber vere practicus, etsi aliud titulo indicatur, plurimis exemplis ditatus, qui utinam in hispanicum sermonem vertantur. quod est in votis.

Plaute. — *Théâtre*. Tome premier. Traduction nouvelle de Henri Clouard. Garnier, Paris.

Ad nos pervenit primum Vol. Co-
moediarum Plauti, a notissima domo
parisina Garnier editarum. In eo quat-
tuor primae Comoediae continentur eodem
ordine quo in Editione Teubneriana
reperiuntur, sc. *Amphitruo*, *Asinaria*,
Aulularia et *Bacchides*. Textus latinus
praedictae editioni Teub. Goetz et Schoel
accommodatur; editionibus etiam Lindsay
et Ernout utitur interpres. Notulae
breves, textum illustrantes ad Historiam
pleraeque spectant. Introductio et ipsa
brevis cum vitae Plauti notitia et Co-
moediarum natura.

H. MARTIJA, C. M. F.

Ovide. — *Les Fastes*. Traduction nou-
elle de Émile Ripert. Garnier, Paris.

*Fastorum opus ad ingenii Ovidiani
maturitatem pertinet*. In eo Kalendarium
Romanum, populi festa eorumque ori-
gines illustrantur. Opus Augusto dicatum,
duodecim libris constare debebat
pro singulis anni mensibus, quorum sex
perfecerat poeta cum in exilium Roma
discessit. Sed mortuo Augusto, eos re-
fecit Germanico dicatos.

Optimi Fastorum interpretes apud
Gallos fuere Bayeux, Gaston Boissier et
M. de Saint-Ange. Versio nuper edita a
cl. Prof. Facultatis Litt. in Universitate
Aix-Marseille, fidelitatem interpretatio-
nis cum sermonis elegantia mirum in
modum conciliat.

Ramiro Merino. — *Curiosidad literaria*.
La Cartilla en verso. Unión Poligráfi-
ca, Madrid.

Ut aperte indicat titulus, hoc opus-
culum nihil aliud est nisi ludicum litterarum,
in quo viginti et octo sonetis,
proprietas litterarum alphabeti descri-
buntur. Tria priora poemata in foliis
periodicis A B C aliquot abhinc annis
vulgata fuerant. Curiosis lectoribus o-
pusculum satisfaciet.

J. LEACHE, C. M. F.

L. Laurand. — *Manuel des études grec-
ques et latines*, t. I: Grèce; t. II: Rome;
t. III: *Complementes Altas, Tables*. Pi-
card, Paris. 1934.

Nobilis Professor L. Laurand, cuius
nomen Tulliana, quae conscripsit, ope-
ra ad immortalitatis memoriam conse-
crarunt, hujusmodi eximum omnibus
que numeris absolutum antiquitatis
classicae *Manuale* illis cumulavit. In quo
Latinis Graecisque litteris vacantes in
promptu habent synthesis et compendium
litterarum, historiae, omniumque
Graeciae Romani populi institutionum.
Continet enim *Manuale* ac complectitur
Geographiam, historiam, ea omnia quae
vitam publicam ac privatam cujusque
gentis constituunt, litterarum historiam,
adjecto judicio de unoquoque auctore
eiusque operibus ac genere dicendi; tan-
dem consequitur grammatica, quam his-
toricam vocant, Graeca et Latina.

Eximis certe praestant qualitatibus
hujusmodi *Manuale*: nitida claritas, pon-
deratum de auctoribus judicium, novis
praeterea scientiarum et maxime philo-
logiae ac lingüsticae quaesitis respon-
det, laboris elementa suppeditat, quae
opera in litterarum campo ab eruditis
expectentur, significans. Bibliographia,
quae initio cujusque capitum prostat sum-
mo erit emulumento lis qui ampliorem
desiderabunt cognitionem eorum quae
in opere summatim pertractantur.

Maximi momenti et utilitatis ea sunt
quae in tertio volumine continentur: de
re metrica Graeca et Latina, de critica
textuum interpretatione, de palaeogra-
phias, epigraphia, numismatica de re
nummaria et archaeologia, de mathesi,
geometria, astronomia et aliis discipli-
nis a veteribus jam excultis, historia de-
nique gentis Graecae et Romanae in
tabulis depictis facile et uno quasi in-
tuitu perlustrare licet.

Hujusmodi operis laudem premens,
paucis absolvo: completa et manualis
antiquitatis classicae encyclopaedia.

J. M.ª MIR, C. M. F.




Compositiones vertendae

Fraudulentus lactis venditor et amicus

Simul Niagarae cataractas advenerant
Duo mercatores, avide quaerentes lucrum
Americae in terris, Massam spectantes aquae
Altosque lapsus, restant primo immobiles;
Audentior deinde adstantem interrogat:
Aqua vim tantam num optares totam tibi?
Quid illa faceres? Nil, respondit, non enim
Electricum opus parandum mihi foret uspiam.
Respondit alter: Totam habere maxime
Optarem massam, commode ut lac temperet,
Americam namque petii lactis venditor.

Niagarae: de Niagara. Famosa catarata de Norte-América. — *non mihi foret parandum uspiam:* jamás me he de poner a establecer. — *ut temperet:* a fin de atemperar.

Historieta muda



columpio	oscillum, i. n.
caballete	fulcrum, i. n.
palanca (<i>travesaño</i>)	vectis, is, m.
bandearse	oscillare.
estar sentado	sedere.
extremo, punta	extrema pars.
ya... ya	modo... modo.
subir (<i>ser elevado</i>)	tollor, eris, i.

bajar, descender	deprimo, eris, de- pressus sum.
barrendero	scoparius, ii. m.
mirar	contemplari, a.
burlarse	derideo, es, ere.
escoba	scopae, arum, pl. f.
amenazar	minari, minitari.
furioso	furens, entis.
levantarse	surgo, is, surrexi. surrectum, i.
correr hacia delan- te	progredi ultra (acc.)
el medio	media pars
contrapeso	aequipondium
caer	decido, is, ere, deci- di, i.
espaldas (<i>de</i>)	supinus, a, um.

N. B. Quis ex pueris, qui Palaestram legunt, melius enarrabit latine hoc lepidum cavillum?

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator

Hypographia F. Camps Calmet. — Tarregae